



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

147 Processus sine scriptis fieri potest, & tamen dicitur processus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

senatores, praesidentes, cancellarij, vice-cancellarij, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas ecclesiasticas, iudicè, vel auctoritative, ut per Sayr. in *Theaur. cas. consc. cap. 23. numer. 2.* Clericum enim esse incorrigibilem declarari debet per iudicem ecclesiasticum, non autem per secularem. *Capyc. decis. 112 num. 6.*

145 Multae enim actiones † contra clericos hoc loco magistratibus secularibus sunt prohibitae.

Prima est eorum, qui quomodolibet se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus; & illa vox; quomodolibet, intelligenda est iudicè vel auctoritative.

Secunda actio est illos processare ut per eandem Sayr. in *Thef. cas. consc. tom. 1. lib. 3. c. 23 num. 2.* & *Graff. in decis. par. 2. lib. 4. c. 18 nu. 149.*

146 Illa enim dictio, † quomodolibet, est universalis, quae comprehendit processum quocunque modo factum, ut per gloss. in *clement. 2. in verb. quomodolibet, de sent. excommunic.* Albert. de Ros. in *dictionario, & verb. quomodolibet. Paris. conf. 58. numer. 10. volum. 1.* Et comprehendit omnes modos excogitabiles, nempe realem, personalem, directum, & indirectum, ut per gloss. in *dict. clement. 2.* & *Hypol. de Marfil. in conf. 80 num. 38.* Illa enim secreta datio votorum habet vim sententiae, quae praesupponat processum factum, eo modo, quo in similibus fieri solet.

147 Et, quamvis fiat sine scriptura, † etiam sine scriptis processus fieri potest, & tamen dicitur processus, *auth. nisi breviores,*

& ibi Bart. & Bald. *C. de sentent. ex brev. recit.* Unde, quando magistratus discolatus unitur, & sedet pro suffragiis ventilandis; processus est iuxta consuetudinem formatus, & uti processantes omnes in censuris contentis in Bulla Cœnae Domini incidunt, etiam, quod non consequatur condemnatio, & qui votum favorabile clericis, quod non sit factiosus, & pœna discolatus multandus, dederunt; nisi se declaraverint, nolle contra clericum aliquo modo procedere.

148 Quia cum aliis quilibet particeps in processu facto, omnes eandem pœnam incurrit; cum enim per ipsos non steterit, quominus clericum condemnaverint, suffragiis ipsum cribando; hoc casu ex solo processu ad calculum condemnatione non secuta, pœna dictae excommunicationis incurritur, prout in atrocioribus, *l. si quis non dicam rapere,* & ibi Bart. & Bald. *C. de episc. & cler. c. 1.* & ibi gloss. & Abb. *primo not. de praesumpt.* & *Felyn. in tract. quan. cont. puniat. nu. 1.* & est casus in Bulla Cœnae Domini expresse comprehensus, ut in eadem Bull. nu. 19 ibi processando, & cum auctoritative fiat processus, magistratus ipse facto excommunicationis sententiam incurrit, *Navar. in c. 27. n. 71. vers. declaratio prima.*

149 Nee se † tueri valent longa consuetudine: quia laici vi consuetudinis nullam possunt habere in clericos potestatem, ut post Joana. Andr. & Dom. tenet *Felyn. in cap. 2. num. 3. de major. & obed. Card. in conf. 68. Rot. dict. decis. 10. num. 4. de consuet. in antiq. cap. clerici,* & ibi Abb. *numer. 5. & 6. & Dec. num. 35. de iud. & plenè, ac bene Azor eodem lib. 5. institut. moral. c. 12. sub. vers. sed dubitari posse. Quae conclu-*